



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 88. Classis Neapolitana ab Aurelianensi oppugnata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

lius moræ diſpendio aulam reliquit, ac Sæcul. XV.
 terreſtri itinere confecto Ludovicum in- A C 1494.
 viſit, ubi utrinque omni quidem obſe-
 quiorum genere officioſe certatum eſt,
 Aurelianenſi tamen Ludovici ſinceritas
 ſuſpecta eſſe cæperat.

§. LXXXVIII.

*Classis Neapolitana ab Aurelianenſi
 oppugnata.*

Aurelianenſis Dux Genuam pervenerat, *Albin. ibid.*
 cum opportune nuncium accepit,
 Neapolitani Regis claſſem, quinque ar-
 matorum millibus liburni in terram ex-
 poſitis, inde ſolviſſe, curſumque portum
Veneris verſus protendere. Ergo Dux
 paſſis velis provolat, eam adoritur, ac
 poſt prælium jam ad ſeptimam horam
 excurrens, illam ab urbe propulſat.
 Neapolitana claſſis primo adverſæ fortu-
 næ ludibrio territa ſeſe longius in al-
 tum abſtulit, ac Rapallum progreſſa eſt,
 ductore Objetto de Fllſchis, qui hanc ur-
 bem nonniſi viginti circiter leucis Ge-
 nua diſſitam, cum tribus peditum milli-
 bus, quos exſcendere juſſerat, facili ne-
 gotio expugnabat. Aſt ubi Aurelianen-
 ſis hoſtem Ripalli exſcensionem feciſſe
 compererat, mox duodeviginti triremes,
 ſex deciremes, novemque grandiores na-
 ves advexit, ac ponte vi perfracto Neapoli-
 tanos

Sæcul. XV. tanos stationem deserere compellit: Neapolitanæ enim triremes prima globorum ac flammæ tempestate, quam grandiora Regis navigia in illas exonerabant, terrore turbabantur, & quamvis militum suorum vix centum qua cæsi, qua vulnerati, desiderarentur, nihilominus præcipiti fuga confestim dissipatæ, quocumque appulsæ omnia mæsto pavore replebant. Hæc gesta fuere die decima septima Julii (*).

Comm. 1.7.
c. 5.

§. LXXXIX.

Rex Astam ingressus, pustularum morbo affectus.

Interea Rex die vigesima nona Augusti Gratianopoli discessit, ac Reginam, quæ Maritum suum usque ad hanc urbem comitabatur, Lutetiam Parisiorum remisit; ipse vero, Vapincum, atque Embrodunum contendens, Segusium pervenit, ubi splendide receptus est a Sabaudia Ducissa, quæ olim Caroli Anno millesimo quadringentesimo octogesimo nono, ætatis suæ vigesimo primo defuncti conjux, nomine Blanca, Guilielmi Montisferrati Marchionis Filia erat; hæc Carolo, quocum Taurinum venerat, omnem

(*) P. Daniel diem octavam Septembris assignat.